

N O R I M B E R G E N S E T E R R I T O R I V M.

*De Noricis
populis.*



Orici olim dexteram labentis Danubii ripam coluere, Lycomme à Vindelicis discreti. Hi quando transmissis Danubio interiora Germaniae petiverint, Noricumque Transdanubianum fecerint, amisso Vetere, incertum est. Hoc certum, Noribergam & omnem agrum vicinum non à Nerone, sed ab illis nomen traxisse. Nam qui in hac usque loca penetrasse Drusum aut Tiberium, & in his locis Noricos devicisse, arcemque condidisse putant, non sunt veteris Geographiae, aut historiarum satis gnari. Norici ergo adventu lecta hic in saltu Hercynio mansionis sede, quod ea esset ab Hunnorum incursionibus tutissima, & propter amnium Pegnesi & Regnesi viciniam ad inhabitandum commoda, castellum primum in colle, rudi opere condidit, ad amnisque ripas liquatorias & ferrarias elaborandi molliendique ferri officinas, (hac enim arte praeter ceteris nationibus excellabant) extruxerunt, rotasque posuerunt, impetu & rapiditate amnis circumagendas, ad varios artium suarum usus. Aucta dein sobole, & in eandem societatem jungentibus Hercyniae silvae pastoribus, aliisque, qui vel hostium Germaniam reliquam vastantium immanitatem fugiebant, vel novitate reducti ex ea hominum colluvie lucrum sibi & vitae compendia quaerebant, congestis saxi & roboribus, fossaque educta oppidum cinctum est. Non defuere, qui ex hoc loco profecti, itinera Hercyniae insiderent, & Germaniam praedis actis infestarent. Atque haec causa est, cur ab Imperatoribus Conradis & Henricis castellum cum arce sua direptum aliquoties & expugnatum sit. Neque vero à latrocinii ante temperatum est, quam Imperator exercitum colli admovit, arceque potius Coloniam ipse illuc deduxit veteranorum, qui communita arce surgenti urbi praesiderent, & circumjectum nemus à latrocinii purgarent, studiose id per Burgravium curans, ut neque Noricis vis inferretur, neque ipsi aliis vim inferrent. Durat hodieque consuetudo; & habet Respublica in eam rem equites suos & pedites, qui publicis alti stipendiis omnia silvae latibula, omnesque recessus diligenti indagine perquirunt, tutamque & secu-

ram negotiatoribus viam faciunt. Arcem Caroli Magni ævo hoc loco fuisse constat. Testatur enim historiae, Carolum, quum Tassilonem Bavariae Ducem esset oppugnaturus, tripartito divisisse exercitum, unum agmen sedes fixisse juxta Nurnbergam, alterum ad Danubium confidisse, tertium ad Alpes Tridentinas. Popularis ab initio reipublicae gubernatio fuit. Vna tantum civili discordia atque seditione, Caroli IV Imperatoris tempore, in Aristocraticam est mutata, ejusque tunc auspiciis rerum gubernacula in patritiorum potestatem pervenere, qui tam æquo jure hæcenus temperarunt rempublicam, ut vix ulla memorabilis secessio, aut perniciosa discordia in tanta hominum plebejorum multitudine ac gentium diversitate suborta fuerit. In urbe tres sunt ordines, Patrum videlicet, Mercatorum, & Operariorum sive plebis. Familiae veteres & honoratiores sunt 28, ex quibus Senatus, sive Patrum collegium suppletur. Constat autem hoc viginti sex viris. Ex his tredecim Magistri civium appellantur, qui de republica simul consultant; alii tredecim populari lingua Scabini dicti, fastis fere diebus jurisdictionem inter cives exercentes, assidentibus tribus Iurisconsultis stipendiariis. Legibus avitis cautum, ne quis professione Iurisperitus aut titulo doctor ad Senatum aut reipublicae gubernacula admittatur. Ex bifariam sic diviso collegio Consules utrimque singulis mensibus renovantur, ut unus semper ex unaquaque parte semel in anno per mensem integrum lunarem cum insignibus summi Magistratus prodeat. Quinque ex eodem ordine viri crimina inquirent, dijudicant, & noxios puniunt. Praetorem habet suburbanum, qui rusticis & paganis reipublicae subjectis jus dicit. Quaestores inde ariarii duo annuatim creantur, senio, fide ac probitate conspicui, qui vectigalium ac redituum totius civitatis curam gerunt, pecunias publicas recipiunt, ac dispensant. Dicti omnes Magistratus, ceterique alicujus potestatis ex Senatu & solo Patritiorum ordine constituuntur. Ducenti duntaxat ex tribus ordinibus, ac tota civitate quotannis nominantur, qui semel quotannis, ubi res arduae postulant, à Magistratibus convocati coeunt, & in commune consultant.

Mercatorum ordo, licet amplissimus, à publicis oneribus liber est, atque immunitatibus multis & grandibus gaudet, ideoque privatas opes negotiationibus variis ex Europa non solum,

Aristocraticum regimen.

Tres ordines in Repub. Norimb.

Iurisconsulti legibus à Republ. semois.

Consul mensstruus.

Commune trium Ordinum concilium ducentorum.

Mercatorum ordo.